

Q. D. B. V.
DE

Concurfus Cauſæ

Primæ cum Secunda

Necessitate & Quidditate

publicè disputabunt

PRÆSES

DN. M. CHRISTOPHORUS

FRIDERICUS *PERESSE*

Illustris Gymnasii Brandenburgico-Curiani

RECTOR

Et

RESPONDENS

JOHANNES SCHARD

Helmbrechtio-Nariscus,

hactenus Brandenburgicus Stipendiarius

Gymnasio juxtim Valecturus,

ad d. April.

ANNI 1682.

Lipſiæ Mizſelianiis.

MAXIMÈ REVERENDO ET PRÆ-NOBILISSIMO
DNO. JOSEPHO FRIDERICO HEUSINGERO
DE WALDEGG,

Gravissimo Ecclesiae, quæ Christo colligitur Curiae, Pastori Prima-
rio, & Vicinarum SUPERINTENDENTI, Gymnasii iidem Curiani Inspectori
& Theologiae Profesori Vigilantissimo, Meccœnati suo & Nu-
tritio aeternum suscipiendo;

Ut et

Nobilibus, Amplissimis, Consultissimis, Doctissimis, Prudentissi-
mis, multoq; rerum usu atque experientiâ Conspicuis, Curiae in
Variscia Metropoleos,

DOMINIS,

CONSULIBUS bene meritis,

Dno. HEINRICO Petern/

Dno. JOHANNI Erben/

Dno. NICOLA O Schneidern/

Dno. CHRISTOPHORO CAROLO Baumgärteln/

Not. Publ. Caesar. Provinc. Tributi Receptori ac Redituū Eccles. ad D. Mich. Curas.

SYNDICO Spectatissimo,

Dn. JOH. NICOLA O Bauern /

*Consulenti famigeratissimo, Aulici & Feudal. quod Byrubii est, Judicii, Advocato
Ordinario, & Gymnasi supra aistli Scholarcha dignissimo,*

&

SENATORIBUS Fidisimis,

Dn. Wolfgango Eckardo Wienern/ Xenodochii Praefecto.

Dn. Simoni Wienern/ annui Tribut. Receptori ac Crimin. Scriba;

Dn. Andreae Klaffen/ Camerae oppidanæ Adjuncto,

Dn. Christoph. Salomoni Bunscholden /

Dn. Michaeli Kretschmann /

Dn. Wolfgango Antonio Schmieden/

Dn. Joh. Christophoro Kröscheln/ Jur. Practico Celeberrimo, &
Camerae oppid. Magistro.

Dn. Johanni Kretschmann/ ordinis equestris Variscii Collect. Praef.

Dn. Patronis, ac Nutritoribus suis, cultu devotissimo aetatem Colendisimis,

has studiorum suorum primitias humillimè offert

RESPONDENS;



Continuam quasi in Esse suo & operari causas secundas dicere Dependendam à prima rerum omnium Efficiente DEO, & hinc ne ad unum quidem momentum durare posse, si DEUS potentem suam manum subtraheret, aut influxum, seu actionem illam, quâ illarum esse conservat, cohiberet, recepta probè Sentientium Adferriò, rationèque suffulta Sententia est. Circa quam, ut in *Defectu* olim erravit *Durandus*, Causas secundas post acceptam semel virtutem operandi, absque prima operari posse, statuendo, in *L. 2. Pet. Lombardi Dist. 1. Q. 5.* Quem post *Nicolaus Taurellus* in *Lib. de Rerum Eternitate & Triumpho Philosophiæ* secutus, Conservationem insuper inficiatus est: Sic in *Excesu* quoque peccarunt *Petrus de Aliaco*; *Marsilius Cognatus*; *Ludov. Sironius* & *Sebastianus Baso*; necnon *Avicembro* & *Avicenna*, quorum Illi: creaturas nihil prorsus efficere, sed Deum solum omnes effectus producere, omniaque operari ad causarum secundarum præsentiam; *Iste*: nullam rem corpoream aliquid agere, sed omnes actiones corporeas omnesque effectus, qui videntur fieri à corporibus, procedere ab aliqua virtute spiritali, aut Intelligentia iis intimè præsentibus; *Hic*: unam corpoream substantiam non posse efficere aliam, sed tantum ejus producere accidentia, adseruerunt; & sic vel omnibus, vel corporeis tantum creaturis veram denegarunt Efficientiam, argumentis tum *SCRIPTURÆ* S. in qua DEUS terram jus sit crescere omniaque creata sibi producere simile *Gen. 1. & 9.* tum *MO-DO LOQUENDI*, quò dicimus: hominem generare hominem, &c. tum *RATIONI*, quæ non admittit, nullam, præter DEUM, dari causam, inutilia esse creaturarum organa, easque tantum instrumenta Creatoris esse, repugnantibus *Vid. Suarez. Met. Disp. 22. Edit. Mogunt. p. 550. Scheibler. Metaph. L. 2. c. 3. Tit. 13. Art. 1. p. 124. imprimis Rob. Baron. Met. Gen. Sect. 8. disp. 3. p. 140.*

§. 2. Quare nec sola, nec nulla agendi vis Creaturis concedi, sed *Concurfus Causæ Primæ absolutæ & talis, quæ prima primitate eminentia*

ria, independentia, illimitationis & originis, cum Causa Secunda omnino admitti legitimeque explicari debet. Non enim otiosum rerum spectatorem esse DEum, sed ad actiones creaturarum positivas omnes causaliter & efficienter concurrere, præter SCRIPTURÆ TESTIMONIA: Ef. 26, 12. omnia opera nostra operatus es nobis Domine; Act. 17. 28. In ipso vivimus, & movemur, & sumus. Rom. XI. 36. omnia ex ipso, per ipsum & in ipso; etiam RECTA RATIO dicitur, dum ex Causarum Secundarum ab Independente Infinita Dependencia essentiali concludit: res omnes alias, præter DEum, operantis Independentis existere, & hinc etiam effectum, si causa eo instanti, quò agit, dependeat à DEO, dependenter ad hunc sese habere, cum utrumque ens per participationem & necessarius inter esse & operari nexus sit, modusque agendi indolem essentialis sequi intelligatur maxime: Non posse igitur quicquam motum ac operationem à seipso habere, quia nihil à seipso fieri atque ex non esse ad esse se transferre, aut potentiam agendi, quam nunc possidet, sibi semper polliceri, aut in crastinum ex seipsa dare posse.

§. 3. Primæ igitur Causæ Influxus omnino requiritur, neque sufficienti quòdam argumentò is negari potest. Quod enim (1) ab exemplo Artificis, posse absolutum opus, ab influxu cessantis, deducere, infirmum est, cum creaturæ magis dependeat à DEO, quam artefacta ab artifice, qui effectum tantum secundum formam suam, quæ accidens, producit, cum creatura à Deo, quoad substantiam, materiam & formam dependeat & hinc conservativum influxum deposcant, non ex artificis aliqua impotentia, sed ex conditione atque exigentia naturæ, quæ quamdiu effectus rationem habet, ob quam formaliter ab aliqua causa dependet, tamdiu etiam influxum illius Causæ recipere debet. Nec etiam (2) concludit, quòd nulla res seipsam esse suò privare possit, E, continuo influxu causæ primæ non opus esse; utut enim res seipsam esse suò privare non possit, ex se & sua natura, si tamen prima causa retraheret influxum suum conservativum, res privarentur suò esse à Deo, non per actionem contrariam, sed per suspensionem, vel cohibitionem actionis

115

Om̄is, necessariò requisitæ ad eorùm esse, quâ actione conservandi sublatâ, Creaturæ existere nequeunt. Nec (3) sequitur: *Res multe per se sunt incorruptibiles, Ergò non poterunt destrui, consequenter non egent virtute conservativâ Dei*; incorruptibiles enim saltem sunt ab intra, non ab extra, unde licet non possint destrui virtute creatâ, possunt tamen virtute increatâ, per negationem influxus conservativi. Neque etiam (4) Vis inest collectioni: *Si conservatio sit necessaria, talem fore vel per causam externam corrumpentem, vel per & propter internam causam creaturas debilitantem; non illud, quia, præter mundum, non datur causa, nisi Deus, qui non sit corrumpens; non hoc, quia quælibet creatura tendat in sui conservationem, & internum destructionis principium non habeat comproductum*; Ut enim taceam, Mundum, quatenus dicitur complexum omnium corporum, utique habere causas corruptivas in seipso, cum Elementa & alia Corpora contrariis qualitatibus agant in se invicem, facillè insuper apparet, Creaturas non quidem habere potentiam physicam, aut inclinationem naturalem proximam ad sui corruptionem, habere tamen potentiam, physicam ad non esse, per quam in infinitum istas à Deo distare colligitur. Nec (5) evincitur inde: *Deum Causam partialem fore & per causas secundas, tanquam per instrumenta, agere*. Ut enim in essentialiter subordinatis, quales sunt universalis & particularis, Prima & Secunda, non procedit, quòd alterutra agat partialiter, licet Inferior agat per virtutem participatam à Superiore, & dependenter in sua actione ab hujus influxu, ita DEum per creaturas, tanquam per instrumenta, operari, frustra dicitur, cum sufficientem istæ habeant in suo genere, ad producendum effectum univocum, virtutem, & non nisi in extraordinario quòdam opere Dei, ut instrumenta posse habere possunt, non autem in naturalibus suis operationibus.

§. 4. Suppositâ ergo veritate concursus divini, ad Naturam sensus & Rationem propriam inquirendam dico (1) **NON CONSTITUTE ILLUMIN SIMPLICI ET NUDA DEI VOLITIONE**, quasi concurrere cum causis secundis nihil sit, quàm velle istarum esse; hoc enim modò confunderetur Voluntas seu Decretum

coope-

cooperandi cum operatione actuali, seu Decreti & Volitionis actuali executione, per quam, quia concursus explicari debet, ipse formaliter non in Volitione, tanquam actu immanente, sed in volitionis executione, quæ ad extra ad terminum suum tendit, consistere potest.

§. 5. Dico II) *NON COLLOCANDUM ILLUM ESSE IN NUDA AGENDI PERMISSIONE, NEC FACULTATE ALIQUA CREATURE SUPERADDITâ*, quâ ipsa sufficiens reddatur ad agendum; ex hoc namque, quia virtus illa superaddita esset dependens, & hinc ad agendum insufficientis, consequenter aliam virtutem superadditam requireret, Progressus in infinitum metuendus esset: per illud autem Deus otiosus rerum omnium statueretur spectator, nihilque amplius præstaret, cum creatura agit, quam cum non agit, quod ipsum ne quidem vocabulum concursus tolerare posset.

§. 6. Dico III) *NON PONENDUM ILLUM ESSE IN MOTIONE ALIQUA PRÆVIA, AUT IMPULSU ANTE ACTIONEM, EXCITATIONE AUT PRÆDETERMINATIONE PHYSICA*, ut Deus virtutē activā creaturæ compleat, eam excitet, & ad agendum determinet, quod ex Reformatis imprimis defendit Lugdunensis in Batavia Philosophus, inter suos hautquaquam infimus, *Adrianus Heerbord*, qui Thomistas secutus præ cæteris perspicuè & distinctè materiam hanc explicat in *Mel. Philos. Dissp. Select. Vol. I. D. 7. p. 27.* Etenim suppositio illo concursu præviâ & motione prædeterminativâ omnis Agentium rationalium tolleretur *libertas & contingentia*, atque voluntas humana redigeretur in ordinem naturaliter agentium, quia sublata ejus indifferentiâ & indeterminatione, per quam à causa naturali distingvi debet, nullum dominium in proprium actum exercere posset; Stante enim prædeterminatione, *non valeret plus aut aliter operari, quam actu ipso & de facto operatur*, quia ex se, præscindendo prædeterminationem, ad quam infallibiliter sequitur effectus, non habet potentiam, aut vires sufficientes ad hoc, vel illud operandum, & sic omnes eventus

fo,

forent immutabiles & inevitabili quodam fatō evenirent omnia, imō Deus directē statueretur Auctor & Causa peccatorum, quæ hōc casu non tantū fierent ad intentionem voluntatis divinæ, adeoque conformiter legi, quod implicat, sed creatura quoque ab omni *divina* absolvenda, omnisque culpabilis agendi ratio & culpa in Deum transferenda esset, consequenter injustē ad supplicia raperetur homo, cū Deus determinaret voluntatem ejus ad speciem actionis & sic ne peccatum quidem evitari posset.

§. 7. Quod etsi verissimē dicatur & argumenta hæc etiam probentur ex Reformatis, *Gwinando Ruzgersio, Gilberto Zacchæo, Rob: Baronio, Swarezio item, Connimbricensibus & Jesuitis, Petro Caltruchio, Melchiori Cornæo, &c.* illorum tamen vim ut frangerent, anxie laborarunt Adversarii, *Dominicani, Thomista & Jansenista, excipiendo* 1.) Non tolli libertatem humanam per Prædeterminationem illam & motionem præviam, sed admittā hāc, tamen *salvā manere Indifferentiam Objectivam*, quatenus voluntas adhuc possit dissentire ab Objecto proposito, ex parte judicii indifferentis, in quantum intellectus representet Objectū sub indifferentia, ostendendo illud de se posse vel amari, v.g. vel non amari. Sed *Re. presentationem illam Intellectus esse unam saltem ex iis conditionibus, quibus positus, voluntas debet posse agere & non agere, per indifferentiam, quam habet sibi insitam, unde Indifferentia illa objectiva, stante prædeterminatione physicā, non potest salvare libertatem humanam, cum quia indifferentia judicii nihil confert ad libertatem formalem, si aliunde dominium voluntatis in suos actus impediatur, ut si Deus præveniret voluntatem humanam necessitando, stante judicii indifferentia, nihil ex illa imminueretur necessitas, nec refundaret libertas, seu necessitatio illa Dei fieret immediatē, per abreptionem seu compulsionem, seu mediatē, per productionem qualitatis trahentis ad hoc, & non ad oppositum, cum quia indifferentia Objectiva voluntatem dissentire facit ab objecto non nisi secundum quid, nullatenus simpliciter, quandoquidem vinculis prædeterminationis, quæ ipsam voluntatis libertatem perimunt, dominiumque ejus in actus suos sufflaminant, adstricta est,*

2.) Con-

2.) Confugiunt ad distinctionem sensus *divisi & compositi*, dicentes; sufficere ad libertatem voluntatis, quod illa remore saltim suam potentiam indifferentiam retineat & diversis temporibus, aut sub aliis circumstantiis, adeoque in sensu *diviso* possit utrumlibet, quamvis proxime & in sensu *composito*, seu sub illa præmotione & prædeterminatione physica sit determinata ad unum, ut quatenus amans v.g. non possit non amare; hanc tamen necessitatem, cum sit hypothetica & ex suppositione non impedire, quod minus res adhuc fiant liberè: Enimverò R. sic perinde esse, si quis obductis oculis, vel potius in tenebris dicat, se liberum esse ad videndum, etiam pro eo statu, quia habeat potentiam visivam sanam, per quam, remotis illis impedimentis, videret actu. Annon sic omni causa naturalis & necessaria in sensu *diviso* posset non operari, si ei desit principium aliquod incomplectum, vel conditio prærequisita; posset autem operari in sensu *composito*, si omnia requisita concurrant? concedas, necessum erit. Difficultas ergo non est de sensu *diviso*, seu potentia remota, quia de illa non dubitatur, sed de sensu *composito*, num in illo voluntas, stante prædeterminatione, libertatem habeat, quod omnino negandum, etiam quoad necessitatem hypotheticam, cum ejus modi suppositio non sit in nostra potestate, nec determinatio ab illa dependeat.

3.) Recurrunt ad Omnipotentiam divinam, quæ in ipsa præmotione, quâ determinat causam secundam, ita se illius naturæ accommodet, ut operationem, modò ipsi consentaneò, inferat, voluntatem movendo non saltim ad substantiam actûs, sed etiam ad modum, quò suaviter & liberrimè operari possit: Unde connexio illa voluntatis divinæ cum humana vinculum suave ac uniens, non necessitans & constringens ipsis dicitur. Sed R. si modò consentaneò agit Deus, ut agit, non movebit causam liberam prædeterminando, sed ita concurreret, ut possit agere liberè. Ast impossibile est, ut voluntas prædeterminetur, & tamen agat liberè, quia liberè operari & externe constringi, indispensabiliter sunt opposita, quæ per naturam simul consistere nequeunt. Prædeterminatio enim voluntatis est extractio ejus à potestate in

contrarium, seu actum oppositum, hinc sine præiudicio libertatis nativæ dari nunquam potest.

§. 8. Frustra E. ut libertatem quandam residuam esse clamitant, sic nullò profusus successu, Deum immunem fore à peccato; posita determinatione, garrunt, nam quòd 1) dicunt: *DEum prædeterminare saltem ad materiale peccati seu actum substratum, non autem ad formale seu essentiali ipsam, unde non posse dici causam peccati, cum deformitas reducatur in voluntatem creatam depravatam, & hinc actionem turpitudinem suam trahere à corruptione naturæ: id nondum absolvit Deum à causa mali; Nam & qui ad materiale peccati determinat, causa peccati formaliter talis est, quia cum materiali formale inevitabiliter connexum est, neque actus ille circa hoc Objectum & cum his circumstantiis haberi potest, quin habeat concomitantem malitiam. Ut itaq; homo non aliter causatur malitiam, nisi ponendo actum liberum, e.g. in furto acceptionem rei alienæ, siquidem in malum, sub ratione mali & peccati, non ferri potest, nec tamen excusatur à peccato, ita neque Deus prædeterminandò ad peccatum materialiter sumtum à causa mali poterit immunis esse, præcipuè cum & materiale peccati prohibitum sit, & æquè Deus violasset legem, si Adamum ad appetitionem pomi, v.g. tanquam ad actionem lege veritam excitasset, quàm si ad concupiscentiam ipsam diceretur determinasse ejus voluntatem. Et si homo vel Dæmon dicuntur causa peccati, ubi *suggestionibus aliquem induunt ad peccandum*, licet non impellant ad malitiam formalem, à fortiori Deo dicitur talis, *voluntatem directè determinans ad actum prævium per impulsum physicè influentem*, per quem ipsum peccatum voluisse contendere esset.*

Intas: Si propterea, quòd materiale peccaminosum indispensabiliter connexum habet deformitatem ipsam, *Deus Causa peccati est, erit etiam talis quoad permissionem circa peccatum, nam & cum hac indivulsò nexu coheret perpetratio peccati*, nec tamen exinde Deus causa mali dicitur.

¶. Diversam esse rationem prædeterminationis & permissionis; *inter prædeterminationem enim & peccatum est connexio physica vel proportio*
B causa

causa ad effectum, in quantum prædeterminatio sese habet ut causa animans ad actum voluntatis malum, tanquam effectum; at inter permissionem peccati & causam peccati est saltem connexio logica & objectiva, in quantum permissio non est causa peccati, sed ex suppositione peccati prævia æstimatur, & sic nullam peccati rationem in Deum transmittere valet.

Quod excipiunt (2) *DEum à lege exemptum esse, hinc contra legem per prædeterminationem ad prævum non peccare, nullius momenti est: Ut ut enim lex ipsi non posita sit ab aliquo superiore, sua tamen ipsa natura ei instar legis est, per quam æquè non potest malum operari, quàm non potest propriam suam naturam negare aut injustè & crudeliter cum hominibus agere. Dei itaque Sanctitas his ipsis non salvatur, sicut nec libertas voluntatis per superiores exceptiones vindicata est.*

§. 9. Ut autem nihil non dissonum rationi atque fidei defendere suscipiunt Adversarii, sic in hac quoque materia, pro stabilienda præmotione sua & prædeterminatione physica, varia quarunt sententiæ suæ patrocina, refugiuntque (1) ad Canonem Metaphysicum: *Causa secunda non agit, nisi mota à prima.* At (subsumunt) voluntas, quando cum Deo cooperatur, agit tanquam causa secunda. E. movetur à causa prima ad agendum, cumque motio causæ primæ sit efficacissima, irresistibiliter movetur ad agendum.

Sed

R. Canonem hunc non intelligendum esse *de novo, eoque excitante motu, in causa secunda recepto, ut ipsa agat, sed de motione metaphorica analogicè ad instrumenta sensibilia; nihilque significari per motionem illam, quàm continuum Dei influxum ad esse Creaturæ datum, e jusque virtutem activam conservatam, ut causæ secundæ non agant, nisi dependenter à Prima, vel cooperantes Primæ. Ex quo nulla oritur motio prævia irresistibiliter ad agendum, neque etiam illa, si admitteretur, attingeret proximè actionem ipsam, sed causam saltem & remotè effectum, de quo V. Svarcz. l.c. p. 560. 564. Scheibl. L. 2. c. 3. art. 3. §. 716. p. 127.*

2) con-

2) concludunt: *O. actio dependenter procedit à Creatore, tanquam agente independente. At omne agens, independenter tale, prius est eò, quod agit dependenter. E. actio creaturæ, tanquam dependens, prius naturâ procedit à Creatore, quam Creatura.*

Re. Ad Min. Agens independens utique naturâ prius esse dependente per essentialem causarum ordinem, in quantum omnis Causa, relativè & formaliter sumta, prior est Causato, sed ex eo Concursum Creatoris prævium statuere, & actionem causæ primæ concipere per modum excitationis ad secundam, frustraneus conatus est: Secunda enim causa, in ratione agendi, quia Deo occasionem concurrendi ad speciem actionis præbet, prior etiam, tanquam particularis, concipi & spectari debet. Licet ratione dependentiæ essentialis, prout habet rationem effectus, sit posterior,

3) *Ex hypothesi de Concursum simultaneo argumentantur: Si causa prima & secunda concurrunt simultaneè, vel una movebit aliam, vel utraque movebitur à tertia, vel casu concurrent. Non hoc, quia sunt subordinata; non illud, quia nulla dari potest tertia. E. una præmovebit alteram ex duabus, concursu simultaneò concurrentibus. Non secunda primam; sic enim non foret secunda, sed prima. E. prima secundam.*

Re. Supponi necessariam esse in Concursum illo motionem aliquam propriè talem, quod falsum. Impropiè autem & Causa secunda movet primam & Prima secundam. Prima movetur objectivè à secunda, secunda movetur à Prima per influxum non prædeterminativum, sed jugiter conservativum, qui Creaturæ vim agendi ad utrumlibet & sui determinativam non lædere potest. Nec porro DEUS dicitur Causa prima ratione successionis, quòd primò concurrat, vel præcisè ratione causalitatis, quasi præmitteret actionem, ad quam sequeretur actio Creaturæ, sed ratione independentiæ, quatenus illa non dependet in operando à Creatura, sed cuius influxum Creatura exigit.

4) *Motionem præviam necessariam esse contendunt, ut causæ secundæ incipiant operari & ex non operantibus fiant operantes. Dependere enim eas à Deo, non saltim ratione principii habitualis, ut possint pro-*

ducere suos effectus, sed etiam ratione principii actualis, ut actu producant, quod non habere possint à seipso, sed ab alio per actualem præmotionem.

R. Neg. motionem istam requiri, ut ex non operantibus fiant operantes, virtus enim creaturæ jugiter conservata est idem illud, per quod causa influat actu in effectum, neque enim habitualiter in causa existit, nisi, quum adfunt omnia ad agendum requisita, causa agit, de se ad agendum determinata, non opus habente determinatione aliâ. Et si creaturæ virtus agendi per motionem aliquam subordinatur Deo, idem de motione ipsa, quam supponunt Adversarii, dicendū, & sic progressus in infinitum admittendus esset.

5) ratiocinantur: *Actio, quam elicit voluntas, est ratio, quâ illa determinatur. Concurfus divinus est illa actio. E.*

R. Neg. Maj. quia determinatio voluntatis prior est, quàm ejus actio, Deusque demum concurrat ad id, ad quod voluntas sese jam determinaverat. Plura Argumenta Disquisitionum videbis apud Chamier, Panfrac. Cathol. Tom. 3 L. 2. c. 5. p. 13. Baron. Met. Gen. Sect. 8. D. 3. §. 91. p. 174. qui præprimis collegit Objectiones, quæ percurunt ex Scriptura; Connimbricenses l. c. Q. 13. p. 244. Heerbord. l. c. D. 9. & seq.

§. 10. Expositis sic modis spuris, per quos negativè explicavimus Concursum Causæ primæ cum secunda, nunc positivè, per rationem propriam, ille spectandus erit, quæ in re.

Dico (IV.) **CONSISTERE ILLUM IN INFLUXU REALI, POSITIVO, SIMULTANEO ET IMMEDIATO TAM QUOAD SUPPOSITUM, QUAM QUOAD VIRTUTEM AGENDI.** Realem & positivum esse non negant, quotquot in genere non in nuda permissione, sed operatione collocant; Verè enim & per actionem positivam Causa prima influat ad producendum effectum hunc, quem producit Causa secunda, quæ talem, ut una eademque sit actio Creatoris & Creaturæ, quæ ad eundem tendit terminum, hincque prima Causa conferat esse eidem illi actioni, quæ à Causa secunda proficitur, non efficiendo aliquid in Creatura, sed cum Creatura operando, unde non præcurrere sed concurrere dicitur,

& ex

& ex eo, quia duæ Causæ concurrentes non sunt partiales, sed totales, quarum utraq; producit, quicquid in effectu est, *simultaneum* etiam esse Concursum, cumq; *immediatum* intelligitur. Immediatum autem pronunciamus cum non tantum *immediatione virtutis*, quatenus per virtutem propriam, non aliunde commodatam attingit effectum, sed etiam *immediatione Suppositi*, quatenus secundum substantiam, adeoque suppositum suum intimè præsens est effectui, immediatione in adessentia sua substantiali, immensa & illocati, fundatâ, per quam, nullò intercedente singulari per se subsistente, effectum attingit, & cum Causa secunda coinfluit; quod quamvis cum Vasquezio neget Ferrerensis, 3. contra Gent. c. 70. ap Conimbric. L. 2. Phys. c. 7. Q. 14. d. 2 p. 247. Edit. Venet. An. 1616. & Comp. Met. Cl. Scablii c. 12. §. 14 p. 173. pugnans Argumento: quod illud non agat immediatè, immediatione suppositi, quod agit interventu Causarum particularium, frustra tamen certat, quia hoc modò agere, non tollit ordinem causandi inter Deum & Supposita creata, nec aliarum causarum excludit consortium, aliàs enim & negari deberet, Deum agere immediatè, immediatione virtutis, quia & hic datur virtus agendi subordinata, nec tamen ab Adversariis Adversio hæc vocatur in dubium. Quare cum in Deo virtus sua sit ipsa substantia Dei, & vero per virtutem suam Deum immediatè tangere effectum concedant contra Durandū omnes, hinc etiam per substantiam suam, adeoque immediatione Suppositi ad Creaturæ actionem concurrere adseverent, necesse habent potissimum, ubi Creaturæ dependentia est maxima, & DEUS, quia reali efficientia illâ producit, etiam conservare ac in operando ad eandem concurrere debet.

§. II. Dico V. *CONCURSUM DIVINUM ESSE INDETERMINATUM ET INDIFFERENTEM*, ut causa secunda nō determinetur à prima, sed ut secunda determinet primā, actionemq; specificet. Quod oppidò manifestum, quia Causa prima sese habet ut Causa universalis & communis; At causa communis dispensat saltem concursum communem, habet enim rationē boni communis, & præbere

bere debet Concursum, ut seruetur etiam jus libertatis, quam concessam Creaturæ rationali voluit: Dum E, indifferenter sese habet, eadēque virtute concurrat ad omnes Creaturarum actiones, Specificatio actionum non Deo, sed Creaturis adscribenda est: Determinatum enim ad speciem actionis, quale est Creatura, determinat illud, quod non est determinatum, sed indifferens in suis actionibus; Nam quod, cum Deus & homo v.g. in generatione cooperantur, non gignitur Aquila sed Homo, non est ex concursu causæ universalis quā talis, sed quatenus concurrat cum homine, qui naturā determinatus est ad hunc effectum specificū, ut producat Hominem & non Aquilam. Causa igitur universalis agit juxta Dispositionem subjecti & ab illa tanquam indeterminata ut sic, effectus determinatus prodire potest neutiquam. Nec ipsa causam secundam ad gradum naturæ singularis seu actionis individuationem determinare potest, licet communis hæc Nominalium, Jesuitarum, Calvinianorum aliorumque sit opinio, nixa fundamentō, quod agens creatum sese ad certum numero effectum, quia facultas ejus semper est indifferens ad plura individua, determinare nequeat, nos tamen dissentientes habent, quia in actionibus creaturarum non in causa aliqua vaga & communi subsistendum, cum actiones sint suppositorum, sed ad singularia maxime respiciendum est: Individuationem itaque confert actionis principium, quod est natura numerica, ex qua operari numericum provenit, ut scilicet actio terminetur ad hoc singulare, quia est hoc individuum, non potest E. hac actione, nisi hunc in individuo producere effectum. Quale enim principium, talis est & actio. Et si Causa Prima determinaret secundam vel ad specificationem actūs, vel ad Individuum, non poterit esse immunis à peccato, sed Causa etiam earum actionum foret, quæ cum lege Dei pugnant, quod blasphemum & impium. Deus enim cum non sit volens iniquitatem Psal. 5, 4. neminemque tenter ad malum Jac. 1, 13. non poterit ab ipso, tanquam summè perfecto, aliquis esse defectus, aut ipse Causa peccati, vel physice vel moraliter, vel directe vel indirecte, aut per accidens

sta

statui, licet peccatum & actiones malas ejus Providentiæ, quantum ad directionem, metarum præfixionem, punitionem aut remissionem, subducamus neutiquam. Ea autem, quæ de Concursu Dei, circa actiones malas, disputantur, hinc ventilare, temporis angustia, quæ festinationem expresfit, atque quo minus, quod erat in votis, ut arduam hanc, jucundam tamen materiam fusiùs & explicatius traderemus, successerit, effecit, prohibet; Unde in sententia contraria brevissimas ducamus lineas. Disserit *Heerbord. l.c. p. 39. quod, qui Concursum Dei faciunt universalem, indifferentem & determinabilem, Indigentiam, potentialitatem & imperfectionem Deo attribuant.*

Sed *R.* Neque *indigentiam*, quia Concursus Dei hinc ipso non perficitur, sed occasio illi saltem offertur, quæ oblatâ Deus adhuc libere concurrere potest & non concurrere; neque *Potentialitatem*, quia determinatio hæc, tanquam externum quid Deo, objectivè tantum sese habens, nullam in Ipso actus aut potentiæ rationem inferre potest, nisi Deum etiam per miseriam nostram v.g. & quodvis externum mutari, velimus adferere; neque *Imperfectionem*, quia Deus hinc modò agit accomodè juxta ordinem à se constitutum, non ex quadam necessitate, hæc nostrâ sententiâ Deo tribui, aut simplicitati ejus, aut perfectioni quicquam derogari posse. 2) opponit: *Sic determinari non tantum Concursum sed ipsum Deum, & consequenter Deum pendere à Creaturarum actione, quod absurdum.*

R. non absurdum, quia non penderet ab ipsa propriè, nam non determinat *Causa Secunda* actionem Dei effectivè sed objectivè. Ast filium abruptimus, plura Conflictui reservaturi.

COROLLARIA.

I.
Qui negant Ens possibile habere realitatem, negant Metaphysicam esse disciplinam universalissimam.

II.
Propria separari posse à Subjectis suis, non negari potest.

III.
Ucunque concedatur Pontificis, Petrum fuisse Romæ, non tamen Primatum ejus vindicant.

Coeterum
Lector Candide & Benevole
non paginas modò quæ aut nudæ aut rerum gravitate verborum
que ornatu haut bene vestitæ Tibi videri possunt
respice

sed Abiturientem Te propediem salutaturum
SCHARDIUM nostrum

specta
egregium ingenui Discipuli Exemplum
Ingenii Dexteritate Rectitudine Animi Morumque Probitate
nulli secundum

Qui in actionibus suis Judicii bonitatem non tam ostentavit
quam exseruit

Cujus nobis probata in Publicis Pietas & Honestas
erga Superiores & Præceptores Observantia Veneratio & obsequium
erga Familiares Comitas Amor & Concordia
quibus Civitatis nostræ Procures ita demeruit ut ad Provinciam
Studiorum ornandam Stipendiò Academicò Paupertati ejus
subvenire decreverint

In Hunc
oculos non modò verte Lector Cordate, sed & Animum propen-
sum consilii auxiliique plenum dirige
Nostrum suscipe & susceptum Favore Patrocinio
& Benevolentia prosequere
Memor erit beneficii
Promptus in officiis

Totus in precibus pro Tua Tuorumque Salute
quam & Nos precamur & deprædicabimus quicquid beneficii
in SCHARDIUM nostrum
collatum fuerit



00 A 6706

ULB Halle
002 916 622 3



56

Retro V

VD 12




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



D. B. V.
DE

us Caufæ

am Secunda

e & Quidditate
disputabunt

ÆSES

ISTOPHORUS

IS PENSES/
randenburgico-Curiani

CTOR
Et

ONDENS

ES SCHARD

h-to-Nariscus,
burgicus Scripentiarius
tim Valecturus,

April.
1682.

~ ~ ~ ~ ~
Synzalianis.